

COMMENTATIONES
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM
GOTTINGENSIS
RECENTIORES.

V O L U M E N V I .

AD A. MDCCCXXIII — XXVII.



C U M FIGURIS.

GOTTINGAE,
SUMTIBUS DIETERICHIANIS.

MDCCCLXVIII.

P R A E F A T I O.

Quod commentationum nostrarum institutio postulat,
vt praefamine noui voluminis historia actorum et fa-
torum Societatis Regiae inde a vulgato antecedente
Tomo enarretur, iam paucis exponere liceat.

In *Directoris* vicibus annuis a senioribus trina-
rum classium sodalibus obeundis *Tychsenio* succes-
sit auctumno XXIII *Himly*, a. XXIV *Mayer*, a. XXV
denuo *Tychsen* et a. XXVI iterum *Himly*.

Incrementa vero insignia habuit Societas his an-
nis accessibus virorum grauissimorum annuente Senatu
Regis sanctiore sodalium ordini adscitorum.

Et quidem a. XXVI. in honoratorum numerum re-
ceptus Serenissimus Princeps *Maximilianus Neoviden-
sis*, qui celebri itinere Brasiliensi naturalem istius regni
historiam classicis super ea operibus egregie auxit et
illustrauit.

Collegis vero ordinariis Societatis adscripti sunt
quatuor Professores nostrates de scientiis in quarum
culturam ipsa Societas fundata est, meritissimi.

et quidem classi physicae a. XXIII. *Conr. Jo. Mart.
Langenbeck*,

Jo. Wilh. Henr. Conradi,
et a. XXV. *Lud. Jul. Casp. Mende;*
classi vero historico-philologicae isto a. XXIII. *Car.*

Odofr. Mueller.

Inter sodales autem exterōs relati in classe physica

a. XXIII. *Jo. Wolfgang. de Goethe*, Magno-Duci Vinariae status administer

et *Humphr. Davy Bar^{tus}*, tum temporis Praeses Societatis Regiae Londinensis.

a. XXVI. *Car. Ern. Adolph. de Hoff* Duci Coburgo-Gothano ab intimis consultationibus.

Car. Asm. Rudolphi Borussorum Regi a consiliis medicinalibus sanctioribus, Professor et Director musei anatomici Berolinensis.

Sam. Gottl. Vogel, Magno Duci Megapolitano Sverinensi a consiliis medicinalibus intimis eiusque archia-ter, et Professor Rostochiensis.

Nic. Vauquelin Instituti Regii Parisini sodalis.

Jac. Berzelius Academiae Regiae Holmiensi a litteris secretis.

et *H. E. Örsted* Regiae Societatis Havniensis Secretarius.

Inter classis vero mathematicae sodales cooptati eodem anno XXVI.

Frid. Wilh. Bessel Professor Regiomontanus et speculae astronomicae director.

et *Dav. Brewster L. L. D.* Societati Regiae Edinensi a litteris secretis.

classis autem historico-philologicae sodalibus adscripti:

Raoul Rochette, Professor Bibliothecae Regiae et Instituti Parisini sodalis.

et *Phil. Wilh. van Heusden* Professor Ultrajectinus.

Inter amicos vero et familiares optione Societatis relati:

a. XXIII. *Jul. de Yelin* in Regio Bauariae collegio redditum publicorum curiae praepositus.

Jo. Frid. de Recke, Russiarum Imperatori a consiliis status et curiae rerum cameralium Curoniae consiliarius.

Wilh. Sachse magni ducis Megapolitani Swerinnensis archiater et a consiliis medicinalibus sanctioribus.

et *Ed. Sabine* in Regia Britanniarum re tormentaria centurio.

a. XXV. *Jac. Grimm* bibliothecae electorali Cassellis praefectus.

eiusque frater *Wilh. Grimm* eidem bibliothecae a litteris secretioribus.

tum *Vuk Steph. Karadschitsch* philos. D. apud Vindobonenses.

et *Lud. Jacobson* medicinae Professor Havniensis.

a. XXVI. *C. Sigism. Kunth* Professor Parisiensis et Instituto Regio litterarum commercio iunctus;

Astley Cooper Bar^{tus} Societatis medico-chirurgicae Londinensis Praeses.

Benj. Travers in nosodochio S^{ti} Thomae chirurgus.

*Ed. Turner M. D. sodalis collegii Regii medico-
rum Edinensium, Professor chemiae in noua vniuer-
sitate litteraria Londinensi.*

J. F. Champollion iun. Parisiis.

et G. Dorn-Seiffen, AA. LL. et I. V. D. Ultrajecti.

Verum post enarrationem illorum incrementorum,
quae societas nuperis annis habuit, iam commemo-
randae sunt graues iacturae quas obitu sodalium eadem
periodo passa est.

et quidem ex honoratorum numero rebus humanis
ereptus est

a. XXVI. *Jos. Maxim. Comes Ossolinsky* a consiliis
interioribus Imperatoris ac Regis Austriaci, bibli-
thecae imperialis Vindobonensis praefectus.

Ex collegis vero ordinariis:

a. XXVI. *Jo. Godofr. Eichhorn* Regi a consiliis
iustitiae sanctioribus, ordinis philosophici Prof. senior,
cuius memoria a Tychsenio commendata hoc ipso vo-
lumine continetur. Praeter alia quibus per 17 annos
de sodalitio nostro egregie meruit tribus etiam lustris
nouis litterariis Gottingensibus praefuit, quorum di-
rectionem vnanimi voto sociorum satisfactus iam
suscepit collega coniunctissimus Heeren.

Ex sociis regni Hannoverani indigenis:

a. XXIII. cl. physicae sodalis *Chr. Fr. Gerh. Westfeld*, commissarius Regius principe loco et praefectus agri monasteriensis Weendensis.

et a. XXVI. ex cl. historico - philologica *Tilem.*
Doth. Wiarda, Regi a consiliis aulicis et syndicus
prouincialis principatus Frisiae orientalis.

Ex sodalibus vero exteris,
et quidem cl. physicae

iam a. XXII. *Franc. Comes Waldstein*, Impera-
tori ac Regi Austriaco inter cubicularios.

a. XXIII. vir de salute generis humani meritissi-
mus *Ed. Jenner M. D.*

Claud. Lud. Comes de Berthollet, Par Franciae.

et *Jo. Henr. Voigt* magno duci Vinariensi ab au-
lae consiliis intimis, Professor physices et matheseos in
academia Jenensi.

a. XXV. *Bern. Germ. Steph. Comes de Lacépède*,
Par Franciae, Instituti Regii Parisini socius.

a. XXVI. *Jo. Franc. Hoffmann*, Imperatori Rus-
siarum a consiliis status publici et Professor Moscouien-
sis, antea Gottingensis.

et *Fr. Ludov. Bar. de Hoevel*, Praeses redditum
camerae apud Monasterienses.

a. XXVII. *Alex. Volta*, Professor Ticinensis, postea-
que apud Comenses.

ex mathematica vero classe:

a. XXVI. *Nicol. de Fuss*, Russiarum Imperatori
a consiliis status publici et academie scientiarum Pe-
tropolitanae a litteris secretis.

et *Joseph. Piazzi*, Professor et speculae astronomicae Panormitanae director.

a. XXVII. vero *Jo. Ebert. Bode*, astronomus regius Berolinensis et academiae scientiarum sodalis.

et *Petr. Sim. Marchio de la Place*, Par Franciae, Instituti Regii Parisini socius.

denique ex classe historico-philologica:

a. XXIII. *G. Aug. Bar. de Best*, Regi nostro Augustissimo a consiliis secretioris consessus.

Joseph. Planta, L. L. D. bibliothecarius musei Britannici principe loco.

et Baro *de Pommereul*, Dux exercitus, a consiliis status, director supremus rei litterariae et typographicae Regni Francici.

a. XXIV. *Lud. Matth. Langlès*, academiae inscriptionum Parisinae sodalis, conseruator manuscriptorum orientalium bibliothecae Regiae.

a. XXV. *Jo. Christoph. Baro de Aretin*, curiae appellatoriae Regiae apud Ambergensis praeses, académiae Monachiensis socius.

et a. XXVI. *Jo. Dion. Barbie du Bocage*, académiae inscriptionem Parisinae sodalis.

Ex amicis vero et familiaribus nuperis annis, quantum comperimus decesserunt:

iam a. XXII. *Joseph. Gioeni*, eques ordinis Melitensis, Regi vtriusque Siciliae inter cubicularios.

a. XXIII. *Chr. Frid. Ludwig*, chirurgiae et naturalis historiae Professor Lipsiensis.

a.

a. XXIV. *Lud. Wilh. Gilbert*, in eadem vniuersitate litteraria Professor physices.

Blas. Merrem, naturalis historiae, oeconomiae et politices Professor Marburgensis.

a. XXV. *Godofr. Ern. Groddeck*, Prof. philos. Vilnensis.

Jo. Frid. Pfaff, matheseos Prof. Halensis.

Aloys. Morelli, medicus Senensis.

Christoph. Frid. Kausler, Wurtenbergiae Regi ab aulae consiliis.

Jo. Car. Burckhard, Duci Coburgensi a consiliis legationum et acad. scientiar. Parisinae sodalis.

Jo. Asboth, Prof. et director instituti oeconomici Keszthellyensis.

Car. Brand. Mollweide, matheseos Prof. Lipsiensis.

Adam. Seybert, M. D. societati scientiar. Philadelphicae a litteris secretioribus.

et *Jo. Christoph. Henr. Roloff*, Magdeburgi Borussorum Regi a consiliis medicinalibus.

a. XXVI. *Matth. Norberg*, cancellariae Upsaliensi a consiliis.

Jul. de Yelin, cuius supra inter amicos ante tres annos receptos meminimus.

Jo. Bruce, historiographus societatis anglicae Indiae orientalis, antea Professor Edinensis.

et popularis noster desideratissimus

G. Henr. Noehden, L. L. D. et musei Britannici inspectoribus adiunctus.

a. XXVII. *E. Frid. Flor. Chladni*, J. V. et Ph. Dr.
Kembergi Saxonum.

Fr. Loth. Aug. Sorg, physices Prof. Heripolitanus.
et *Joh. Correa de Serra*, Lusitaniae Regis lega-
tus ad congressum Washingtonensem.

* * *

Lectae aut exhibitae sunt inde ab edito quinto
volumine horum actorum sequentes commentationes:

Et quidem a. XXIII. m. Febr. *Car. Frid. Gauss* theoriae com-
binationis obseruationum erroribus minimis obnoxiae, pars posterior.
Götting. gel. Anz. 1823. pag. 313.

m. Maio, *Th. Chr. Tychsen* de numis Graecis et Barbaris in
Bochara nuper repertis, in primis numo Demetrii Indiae regis.
Götting. gel. Anz. pag. 1073.

m. Iul. *Jo. Frid. Blumenbach* de veterum artificum anatomicae
peritiae laude limitanda, celebranda vero eorum in charaktere
gentilitio exprimendo accuratione. *Ib.* pag. 1241.

m. Nov. *H. Adolph. Schrader* illustrationes Filicum a Prin-
cipe Neoidensi in Brasilia obseruatarum; praemissis animaduersio-
nibus de huius Familiae structura et oeconomia S. I.

earumque S. II. m. Apr. anni sequentis. *Götting. gel. Anz.*
1824. pag. 857.

a. XXIV. m. Apr. *Tychsen* de origine ac fide antiquae Per-
sarum historiae qualis a scriptoribus orientalibus traditur. *Ib.*
pag. 1033.

m. Iun. *Car. Odofr. Mueller* de Phidiae vita. Comm. prior.
Ib. pag. 1137.

m. Iun. *Jo. Tob. Mayer*: Lex Mariotti ex principiis theore-
ticis deducta. *Ib.* pag. 1201.

m. Iul. Arn. Herm. Ludov. Heeren: de fontibus Geographorum Ptolemaei tabularumque iis annexarum, num ii Graecae, an vero Tyriae originis fuerint? *Ib.* pag. 1361.

ead. m. G. Henr. Wilh. Conradi, de mania sine delirio. *Ib.* pag. 1321.

m. Nov. Frid. Stromeyer, de Oliuini, Chrysolithi et fossilis, quod cellulas et cauernulas ferri meteorici Pallasii explet, analysi chemica. *Ib.* pag. 2073.

et eod. m. vltima symbola Jo. Godofr. Eichhorn, marmora Palmyrena explicita. *Ib.* pag. 1873.

a. XXV. m. Apr. Gauss, theoria Residuorum Biquadraticorum. Comm. I. *Götting. gel. Anz.* 1825. pag. 585.

ead. m. Mueller, de Phidiae vita. Comm. altera. *Ib.* p. 1025.

m. Iul. G. Sartorius, de commercio inter Asiae et Germaniae septentrionalis populos per Russiam inde a seculo XIII. vsque ad finem seculi XVI. *Ib.* pag. 1273.

m. Sept. Schrader, Blumenbachia, nouum e Loasearum familia genus: adiectis obseruationibus super nonnullis aliis rariori- bus aut minus cognitis plantis. *Ib.* pag. 1705.

m. Nov. Tychsen, de origine ac fide antiquae Persarum historiae, qualis a scriptoribus orientalibus traditur, Comm. altera. *Götting. gel. Anz.* 1826. pag. 521.

a. XXVI. m. Iul. Blumenbach, noua pentas collectionis suaे craniorum diuersarum gentium, tanquam complementum priorum decadum. *Ib.* pag. 1201.

ead. m. Lud. Jul. Casp. Mende, de hymene seu valuula vaginali. *Ib.* pag. 1337.

m. Aug. Conradi, de varia affectionum pulmonum, quae apoplexiae pulmonalis nomine signatae sunt, ratione. *Ib.* pag. 1369.

m. Sept. Gauss, Supplementum theoriae combinationis obseruationum erroribus minimis obnoxiae. *Ib.* pag. 1521.

m. Nov. *Car. Himly*, hydrocephali humani casus memorabilis. *Götting. gel. Anz.* 1827. pag. 681.

a. XXVII. m. Ian. *Mueller*, de signis olim in postico Parthenonis s. Hecatompedi templi fastigio positis. *Ib.* pag. 281.

m. Febr. *Jo. Conr. Mart. Langenbeck*, de cerebro, aqua ingenti sacciforme distento, cum nondum perfecto conferendo. *Ib.* pag. 481.

m. Iul. *Tychsen*, memoria Eichhornii. *Ib.* pag. 1161.

m. Aug. *Frid. Hausmann*, de origine saxorum per Germaniae septentrionalis regiones arenosas dispersorum. *Ib.* pag. 1497.

et m. Oct. *Gauss*, disquisitiones generales circa superficies curuas. *Ib.* pag. 1761.

* * *

Praeter has commentationes sequentia quoque obseruata sodales ordinarii in concessibus societatis obtulerunt:

Hausmann de salis gemmae s. muriae montanae stratis in regionibus Neccaro fl. adiacentibus. *Gött. gel. Anz.* 1823. p. 1953.

Tychsen de insigni torque aureo antiquo in ducatu Bremensi effosso et iussu summi Regiminis Hannouerani museo academico Gottingensi inserto. *Ib.* pag. 2001.

Stromeyer et *Hausmann* de noua minera plumbi selenifera prope Clausthal siluae hercyniae detecta. *Götting. gel. Anz.* 1825. pag. 329.

Stromeyer de sulphureto selenii in sale ammoniaco insulae Vulcaniae Liparensis. *Ib.* pag. 336.

Idem de Spatho magnesitico Salisburgensi, Tyrolico et montis S^{ti} Gotthardi. *Götting. gel. Anz.* 1827. pag. 1567.

Praeterea etiam amici et familiares Societatis aliquae viri docti studiis eius fauentes iisdem annis sequentia ad eam miserunt:

W. F. A. Jacobi Praefectus agri Reinhauani principe loco curatam obseruationem memorabilis fulminis ictus. *Gött. gel. Anz.* 1824. pag. 289.

F. S. de Busse a consiliis rei metallicae Freybergae, censuram sententiae Euleri, la Grange aliorumque qui quaedam Differentialia etc. tanquam incerta reiicienda putarunt. *G. g. Anz.* p. 537.

Jos. de Hammer Imperatori Regi Austriaco ab aulae consiliis, commentationem ipsi huic volumini insertam, de Byzantinae historiae vltimis scriptoribus ex historia Osmanica elucidandis et corrigendis.

Jo. Erchinger Wurtenbergensis scriptionem de constructione geometrica polygoni regularis 17 laterum. *Götting. gel. Anz.* 1825. pag. 2025.

G. H. Bergmann Dr. medicus aulicus et Director hospitii insanorum Hildesiensis disquisitionem super aceruulis arenaceis quibus iam in vicenis mente captis glomum plexus chorioidei obsessum reperit.

* * *

Restat iam expositio quaestionum nuperis annis a Societate propositarum.

Et quidem quod primarias attinet

In Nouembrem a. XXIII. a *classe historico-philologica* constituta erat:

Cum interitus gentis inclytæ, numerosæ, ortu, patrio sermone, moribus et institutis a vicinis populis diversissimæ, ad illustrandam generis humani historiam non levis momenti sit, desiderat R. S. S. ut exponatur, testimoniisque a scriptoribus et antiquis et recentioribus petitis comprobetur,

quomodo veteres Aegyptii, inde a Ptolemaeorum aetate, ab omnibus, quæ a maioribus acceperant, paulatim recesserint, aliisque populis commixti gens esse desierint.

In Nouembrem a. XXIV. a *classe physica* proposita quaestio agebat:

De ortu ovi foeminini veri; an in corpore luteo nascatur? Si hoc, quo tempore tunc in animalibus mammalibus de eo corpore exeat? et quid vesiculae ouarii huic ovo et toti generationis negotio utilitatis praestent?

Ternae Societati oblatae sunt commentationes, quarum disertior expositio videnda est in *recensibus litterariis* (*Gött. gel. Anz.*) istius anni pag. 1939.

Auctor egregii scripti verbis notati: *non reuelantur naturae mysteria, nisi* etc. et praeparatorum anatomicorum copia illustrati, quod vnanimi sodalium consensu praemium tulit, scheda in consessu sollemni soluta innotuit V. F. Hausmann, scholae veterinariae Hannoueranae director.

Secundae vero et tertiae dissertationis quas ad prae-
mium accessisse iudicatum est, auctores postea se professi
sunt n. II. cum symbolo: *in paruo copia*, Ed. Eichwald
Prof. Casanensis, (*G. gel. Anz.* 1825. p. 1841.) et n. III.
cum lemmate: *cuiusuis hominis est errare*, Dr. Egger t
physicus prouinciae Islebiensis, (*ibid.* pag. 561.)

In Nouembrem a. XXV. a *classe mathematica*:

Notum est, subter iride primaria interdum et fascias coloratas, ad iudicium oculorum iridi dictae fere parallelas et plus minusue extensas esse conspicuas, de quarum origine indaganda iam complura quidem extant physicorum tentamina, minime vero explicationes omnibus numeris completae et absolutae. Quaenam sunt conditiones, sub quibus hae fasciae memorabiles apparent, et quaenam est explicatio illarum, omnibus phaenomenis concomitantibus quam maxime consentanea? Pendente tantum a variis reflexionibus et refractionibus luminis, an praeterea et inflexionis, polaritatisque luminis ratio est habenda, ut tandem genuina, qualem desiderat R. S. S. explicatio detur.

In eundem mensem a. XXVI. a *classe historico-philologica*:

S. R. S. desiderat inuestigationem accuratiorem antiquissimorum Germaniae tumulorum et sepulcrorum, praetermissis plane recentioribus, Romanis aliisque. Desiderat propterea principue

1. enumerationem et explorationem relationum hanc rem spectantium et collectionum inde de promtarum, adiecta locorum commemoratione accurata, vbi tumuli sint et quidquid in iis inuentum sit?

2. commemorationem similitudinum diversitatum horum tumulorum, in primis secundum formam eorum exteriorem, directionem et habitum interiorem;

3. disquisitionem, quatenus ex his relationibus coniunctio harum, olim in Germania habitantium, nationum cum aliis septentrionis et occidentis Europae, atque harum omnium cum Asiae populis certo colligi possit.

Et in Nouembrem a. XXVII. a classe physica:

Ad quaenam momenta maxime attendere oportet in experimentis quibus nuper ope pneumometrorum a Kentishio aliisque inuentorum, capacitatem pulmonum respirantium in statu sano et morbo definiere studuerunt; et quali usui exploratio ope eiusmodi instrumentorum instituta in uestigandis morbis organorum respirationis esse possit?

Vna saltem commentatio super ea quaestione societi tradita est quae vero vnanimi classis iudicio praemium meruit cuius quidem auctor resignata scheda pronunciatus est *E. Fr. Gust. Herbst M. D.* et in vniuersitate nostra litteraria priuatim docens. Pluribus cfr *Gött. g. Anz.* istius anni pag. 1931 sq.

* * *

Oeconomici argumenti quaestiones in eosdem annos indictae erant hae:

In M. Iulium MDCCXXIII.

accurata, methodo Schübleriana prosecuta disquisitio physicae indolis et fertilitatis diuersi soli alicuius regionis.

In Nouembrem eiusdem anni.

de usu terrae muriatice s. magnesialis ad vasa argillacea quae vim ignis sustineant, conficienda.

Praemium tulit G. Leschen Dr. et fabricae vasorum porcellanicorum Fürstenbergensis director. *Gött. gel. Anz.* istius anni pag. 1939.

In Iulium MDCCCXXIV.

de emendanda, ad lateres coquendos argilla nimis calcaria.

In Nouembrem

quatenus conueniat trifolia aliasque id generis fruges gypso adspergere.

In Iulium MDCCCXXV.

„Eine Darstellung der Mängel der in Niedersachsen im Allgemeinen üblichen Bereitungs- und Benutzungsart des vegetabilisch-animalischen Düngers, nebst einer gründlichen Anleitung, solche, unter Berücksichtigung des in anderen Gegenden, besonders in den Niederlanden und in der Schweiz gebräuchlichen Verfahrens, möglichst zu verbessern“.

de emendanda laetificatione et stercoratione agrorum Saxoniae inferioris.

Praemium decretum Chr. L. B. de Hammerstein in exercitu Regio Praefecto Locumtenenti. *Gött. g. Anz.* 1825. pag. 1161 sq.

In Nouembrem

„Eine aus gründlichen Untersuchungen der physischen und chemischen Eigenschaften der verschiedenen Mergelarten und sicheren Beobachtungen und Erfahrungen über ihre Wirkung geschöpfte Theorie, von dem Einflusse des Mergels auf die Verbesserung des Bodens, nebst einer Anleitung zur rationellen Benutzung desselben bey dem Ackerbaue.“

accurata disquisitio diuersarum margae varietatum ad emendandam earum ope agriculturam.

In Iulium MDCCCXXVI.

Eine gründliche Erörterung der Mängel, welche bey der Papierfabrication in Norddeutschland im Allgemeinen angetroffen werden und der Hindernisse, welche ihre Vervollkommnung bisher

her zurück gehalten haben; nebst einer, auf technische Erfahrungen bey der Verfertigung der besten ausländischen Papiere gegründete und die besonderen Localverhältnisse der norddeutschen Papiermühlen berücksichtigende, Angabe von Vorschlägen, wie jene Mängel verbessert und jene Hindernisse aus dem Wege geräumt werden können."

de emendanda chartae papyraceae fabricatione in Germania septentrionali.

Binae super hac quaestione societati missae sunt scriptiones de quibus iudicium exponitur in recensibus litterariis ei. anni pag. 1209 sq.

Victrix auctorem habet Lebr. Orl. Keferstein Crollwitzo - Halensem.

Altera vero quae merito ad istam accessit G. Drewsen Lachendorfio - Cellensem.

In Nouembrem.

Eine möglichst vollständige und auf Erfahrung gegründete Anleitung, wie die natürlichen und künstlichen Schafweiden am besten zu cultiviren und zu verbessern, und wie die letztern in unserm Clima am vortheilhaftesten anzulegen sind?

de pascuis ouillis nostro sub coelo aptissime excolendis.

In Iulium MDCCCXXVII.

,Eine möglichst genaue und vollständige Zusammenstellung der Erscheinungen, welche bey den verheerenden Wirkungen der Sturmfluthen in mehreren Theilen des Königreichs Hannover und in einigen angränzenden Gegenden, zu Anfange des Jahrs 1825 beobachtet worden, in Beziehung auf die Anwendungen, welche von diesen Erfahrungen für die Vervollkommenung der zur Sicherung gegen solche Gefahren dienenden Anstalten, etwa gemacht werden können."

desideratur succincta expositio tam phaenomenorum in procellariis inundationibus obseruatorum quibus orae Hannoueranae cum vicinis ante biennium tam grauiter afflictæ fuerunt, quam remediorum in futurum aduersus stragem earum vlo modo adhibendorum.

Vnica Societati oblata huius quaestionis responsio vnanimi eius consensu praemium tulit, auctoremque habuit Wilh. Müller in exercitu Hannouerano architecturae militaris praefectum. *G. g. Anz.* 1827. p. 1162 sqq. *).

In Nouembrem eiusd. anni.

„Eine auf Erfahrung gegründete Darstellung und Vergleichung der durch das sogenannte Moorbrennen bewirkten Vortheile und Nachtheile, nebst einer Angabe der Maassregeln, die zur Erhöhung der ersteren und zur Verminderung der letzteren, bey der Anwendung dieser Urbarmachungs-Methode dienen können.“

Expositio tam commodorum quam incommodorum ex conflagratione agrorum in terris viginosis (Moorbrand) redundantium. *G. g. Anz.* istius anni. pag. 1166 sq.

* * *

Hactenus de praeteritis. Restat nunc commemoratio quaestionum vtriusque generis in futuros annos a Societate propositarum.

Et quidem quod *primarias* attinet:

In m. Nouembrem MDCCCXXVIII. a *classe mathematica* constituta.

Cum tabulae emortuales, quae basin quasi arithmeticæ politicae constituunt, ab eo inde tempore quo variolarum vaccinarum insitio in usum versa est, longe alias quam antea progressiones exhibeant, desiderat R. S. ut tabulae istae eo respectu in quadam provincia, decies ad minimum centenorum millium incolarum, inde ab initio huius seculi de novo, quantum ex datis, quinque lustra complectentibus fieri potest, accuratissime reformatur.

**) Prodiit nunc typis excusa. Hannov. 1828. 8. c. tab. geographicis.*

In Nouembrem a MDCCCXXIX. a classe *historico-philologica*:

Exponatur historia systematum chronologicorum, quae Graeci inde a temporibus Logographorum usque ad Eusebium, maxime viri litterati Alexandrini, composuerunt; in qua potissimum ad fontes, ex quibus ii temporum indicationes hauserunt, atque ad rationes et calculos, quos computationibus suis fundamento posuerunt, attendendum sit.

In eundem mensem vero a. MDCCCXXX. noua proponitur quaestio *classis physicae*.

De D. Ciualis methodo calculorum demisso in vrinae iter instrumento, quod Lithotriteur nominatur, in vesica vrinaria comminuendorum, et ex illa fragmentorum forcipe extrahendorum, quid iudicandum sit? — utrum Lithotomia nunc carere possimus, aut non? Si non, — quando isti methodo nouae? quando Lithotomiae locus sit?

Praemium in singulas has quaestiones constitutum est L ducatorum aureorum: in concertationem veromittenda scripta societati redditia sunt ante exeuntem Septembrem.

* * *

Quaestiones vero *oeconomici* argumenti in futuros annos promulgatae sunt:

et quidem in m. Iulium a. MDCCCXXVIII.

„Eine aus gründlichen Untersuchungen der physischen und chemischen Eigenschaften der verschiedenen Mergelarten und sicheren Beobachtungen und Erfahrungen über ihre Wirkung geschöpfte Theorie von dem Einflusse des Mergels auf die Verbesserung des Bodens, nebst einer Anleitung zur rationellen Benutzung desselben bey dem Ackerbau.“

Disquisitio physicarum et chemicarum proprietatum diuersarum margae varietatum ad agrorum culturam meliorem reddendam.

In m. Nov. eiusdem anni.

„Eine möglichst vollständige und auf Erfahrung gegründete Anleitung, wie die natürlichen und künstlichen Schafweiden am besten zu cultivieren und zu verbessern, und wie die letzteren in unserem Clima am vortheilhaftesten anzulegen sind?“

de pascuis ouiariis nostro sub climate perfectius reddendis.

In m. Iul. MDCCCXXIX.

„Eine vollständige Darstellung und auf Erfahrungen gegründete Prüfung der Methoden, welche man in verschiedenen Ländern und Gegenden bey der Knochendüngung anwendet.“

de variis methodis quae hactenus ad laetificationem agrorum ossium vsu adhibentur.

In mensem vero Nov. istius anni XXIX. noua proponitur quaestio, cuius vt et mox memoratae vberiorum expositionem videsis in *G. g. Anz.* 1827. p. 1937 sq.

„Eine gründliche Erörterung der Mängel, die sich in den mehrsten Gegenden von Norddeutschland bey dem Flachsbau finden, nebst Angabe der Maassregeln, wodurch derselbe wesentlich verbessert werden könne; um das zu erzielende Product, der Güte des in den Niederlanden gewonnenen, möglichst zu nähern.“

super lini cultura in plerisque Germaniae septentrionalis prouinciis emendanda.

Cuius harum quaestionum propositum est praemium XII ducatorum aureorum. Mittantur vero dissertationes quae in certamen admitti volent, ante Cal. Iunias vel Octobres annorum constitutorum.

Scripsi Feriis Paschalibus MDCCCXXVIII.

JO. FRID. BLUMENBACH.

I N D E X

COMMENTATIONUM RECENTIORUM

V O L U M I N I S S E X T I .

Praefatio *Jo. Frid. Blumenbachii*. Pag. III - XX

COMMENTATIONES CLASSIS PHYSICAE.

<i>Jo. Guil. Henr. Conradi</i> de mania sine delirio	3
<i>Lud. Jul. Casp. Mende</i> de hymene seu valuula vaginali	23
<i>Jo. Guil. Henr. Conradi</i> de varia affectionum pulmonum, quae apoplexiae pulmonalis nomine signatae sunt, ratione	43
<i>C. Himly</i> demonstratio hydrocephali humani memorabilis	61
<i>Conr. Jo. Mart. Langenbeck</i> de cerebro, aqua ingenti sacci- forme distento, cum nondum perfecto conferendo	73
<i>H. Adolph. Schrader</i> Blumenbachia nouum e Loasearum familia genus, adiectis obseruationibus super nonnullis aliis rarioribus aut minus cognitis plantis	91
<i>Jo. Frid. Blumenbach</i> noua pentas collectionis suae crano- rum diuersarum gentium	141

COMMENTATIONES CLASSIS MATHEMATICAEC.

<i>Jo. Tob. Mayer</i> lex Mariotti ex principiis theoreticis deducta	Pag. 3
<i>C. Frid. Gauss</i> theoria residuorum biquadraticorum, Comm. I.	27
<i>Ei. supplementum theoriae combinationis obseruationum erroribus minimis obnoxiae</i>	57
<i>Ei. disquisitiones generales circa superficies curuas</i>	99

COMMENTATIONES CLASSIS HISTORICAE ET PHILOLOGICAE.

<i>Th. Chr. Tychsen</i> de numis graecis et barbaris in Bochara nuper repertis, imprimis numo Demetrii, Indiae regis cum obseruationibus super numo pro Antigoni Asiae regis habito	3
<i>Id.</i> de origine ac fide antiquae Persarum historiae, qualis a scriptoribus orientalibus traditur, Comm. I.	17
<i>Ei.</i> Comm. II.	42
<i>Arn. Herm. Lud. Heeren</i> de fontibus Geographicorum Ptolemaei, tabularumque iis annexarum, num ii Graecae an vero Tyriae originis fuerint	59
<i>Jo. Godofr. Eichhorn</i> marmora Palmyrena explicita	81
<i>C. Odofr. Mueller</i> de Phidiae vita Comm. I.	121
<i>Ei.</i> Comm. II.	164
<i>Id.</i> de signis olim in postico Parthenonis siue hecatompedi templi fastigio positis	191
<i>G. Sartorius</i> de variis mercibus ab urbibus Germaniae septentrionalis seu Hanseaticis per Secula XIII - XVI. ex Russia euctis et occidentem meridiemque versus longius transportatis etc.	213

INDEX COMMENT. VOL. VI.

XXIII

- Jos. de Hammer* de Byzantinae historiae vltimis scriptoribus
ex historia Osmanica elucidandis et corrigendis Pag. 233
- Th. Chr. Tychsen* memoria Eichhornii 253
-

TABULAE AERI INCISAE HUIC VOLUMINI INSUNT
SEQUENTES:

Ad commentationes physicas

- Mendé* de hymene etc. Tab. I - VI.
- Himly* demonstratio hydrocephali Tab. I.
- Langenbeck* de cerebro aqua distento etc. Tab. I - V.
- Schrader* Blumenbachia nouum genus etc. Tab. I - IV.
- Blumenbach* noua pentas craniorum Tab. LXI - LXV.

Ad commentationes mathematicas

- Mayer* lex Mariotti etc. Tab. I.

Ad commentationes historico-philologicas

- Tychsen* numi Graeci et barbari in Bochara reperti Tab. I.
- Mueller* de Parthenonis fastigio Tab. I.
-

C O R R I G E N D A.

In commentat. cl. *Mathematicae*

- Pag. 23 lin. 19 l. *in duas lege inter duas*
— 21 l. *inter tota* l. *in tota*
— 86 l. *vltima pro opera* l. *opere*
— 107 l. *vltima pro receptam* l. *receptae*
ibid. *pro probatam* l. *probatae*
-

COM-

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



QPCARD 201

